

No. 14. 1271. 8. März.

B. Withego und das Capitel bestätigen dem Hospital zu Meissen die vom Vicar Petrus nach seinem Ableben demselben verschriebenen Zinsen von zwei Hufen in Reichenbach und 20 Höfen in Cölln.

In nomine domini amen. Nos Withego dei gratia Misnensis episcopus, C. praepositus, B. decanus totumque Misnensis ecclesiae capitulum — tenore praesentium notum esse cupimus —, quod dominus Petrus ecclesiae nostrae perpetuus vicarius duos mansos sitos in villa Richenbach^{a)} decem solidos annui census solventes, et viginti areas Coloniae sitas in platea quae vocatur Selbenizt, solventes decem solidos in annua pensione, de suo una cum mansis comparatas a domino Friderico dicto Quaz, ac proprietate inpetrata ab illustri principe domino Misnensi marchione Heinrico et obtenta, prout alias in forma litterarum suarum super eo obtentorum expressius continetur, pro animae suae remedio cum omni utilitate, quae ipsis inest vel inesse poterit in futurum, hospitali Misnensi liberaliter contulit purae proprietatis titulo perpetuo possidendos, usufructu tamen in eis sibimet ipsi quoad vixerit reservato. Ut autem haec donatio etc. Testes huius sunt dominus Sifridus praepositus in Budesin, Heidricus cantor, Theodericus scolasticus, Cunradus de Boruz canonici Misnenses et quam plures alii fide digni. Datum anno domini M.°CC.°LXXI.° VIII. Idus Martii.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

a) Reichenbach, Par. Naustadt.

No. 15. 1285.

Burggraf Meinher und die Stadtgemeinde beurkunden, dass der Convent zu St. Afra zu dem nothwendigen Neubau der Stadtmauer hinter den Klostergebäuden die Hälfte der Kosten bewilligt, sie aber in Anerkennung der ihnen auch sonst dabei gewährten Unterstützung einige Zugeständnisse dem Convent gemacht haben.

In nomine domini amen. Nos Meinherus dei gratia praefectus ac universitas burgensium Misnensis civitatis omnibus praesens scriptum intuentibus salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum imminente necessitatis articulo muros Misnensis civitatis in multis locis prae vetustate collapsos restaurare cogemur, accedentes ad praepositum Leonem et conventum eius ecclesiae sanctae Aefrae, circa quorum curiam murus in tribus locis corruerat, ad reparandos eosdem muros postulavimus auxilium eorundem. Qui nostris precibus et monitis inclinati mediam partem omnium expensarum in reparandis muris supradictis iuxta curiam suam se apponere promiserunt. Praeterea extra communes expensas in vecturis currum suorum et omni qua poterant diligentia nostram benivolentiam captaverunt, adiicientes, ut propter graves quas fecerant expensas viam, quam iuxta muros curiae ipsorum pro defensione civitatis tempore belli habere volumus, ulterius non quaeramus. Nos igitur consideratis ipsorum gravibus expensis et obsequiosa voluntate, quam nobis tempore necessitatis beni-